

Pulchre etiam S. Hieronymus, in ep. ad Cyprian. ait hæreticos telam aranearum texere: «Quæ parva potest capere animalia, ut muscas, culices, et cætera hujusmodi; a fortioribus autem rumpitur instar levium in Ecclesia simpliciumque, qui eorum decipiuntur erroribus, cum viros, in fidei veritate robustos, non valent obtinere.»

Quinto, quia illorum persuasiones semel imbibitæ pertinaciter inhaerent homini, non secus ac tribuli fortiter adhærent vestibus. Quare sicut non nullius laboris est tribulos e barba vellere; ita magni laboris hæresin eximere ex animis illorum, qui eam semel hauserunt. Videre id heul nimium est, afflictissimo isto tempore, quo plerique nuper ad Ecclesiam reducti, ubi rursum præcones hæreticos nacti sunt, proni ruunt in antiquam hæresin, quasi nihil magis desiderarint.

Sexto, quia superbissimi sunt. Scimus autem in ss. litteris rhamnium atque carduum ambitionis ac superbiæ typos esse. Rhamnium ille, Judic. IX. honorem regium acceptavit (in apologo) quem nulla arbor acceptare voluit: carduus ille, IV. Reg. XIV. (itidem in apologo) misit ad cedrum Libani, et petivit ejus filiam filio suo uxorem. Quid ergo spinæ et tribuli seu rhamnium et carduus in hæreticis, nisi eorum arrogantiam et ambitionem notat? Et quid mirum, cum superbia fere eorum mater sit? Quanta porro in Luthero arrogantia fuit? In epist. ad ducem Brunsvicensem scribit: *Nomen meum tum celebrari cepit, adeo ut nullus opponere se auderet. Quæ, licet exigua gloria, valde mihi placebat.* Non quibusvis etiam magnis viris se videndi et alloquendi potestatem dedit, ut Carolo Militio nuntio papæ, non nisi ducis intercessione. Apostolus et evangelista audire voluit: «Oculos tuos, inquit, o Germania ad me converte, ad quam salvandam ego missus sum. Accede ad me charissima mea patria, et aperi aures evangelio, quod hactenus nunquam audivisti.» David Georgius prædicavit, se esse illum cælestem Christum de Spiritu sancto natum qui peccata condonet et reservet, quique in extremo die iudicaturus sit vivos et mortuos. Eodem spiritu agitati veteres hæretici. Simon magus summam se virtutem dicebat, id est, summum Deum, ut interpretatur Tertullianus: Menander eum secutus idem assererat, nec possit aliquem salvari, nisi in ipsius nomine baptizaretur: Manichæus Christi se apostolum, imo et Spiritum sanctum a Christo promissum iactitabat, quemadmodum et Montanus Noetus, a quo Noetiani, dicebat se esse Moysen, et fratrem suum Aaronem, ut refert D. Epiphanius. Sed hæc sufficiant. Rogemus Deum, auditores,

uti nos ab his pseudoprophetais dignetur custodire.

## CONCÍO X.

DOCUMENTA ET MYSTERIA.

I. Cur hæresis maxime cavenda? — II. Quomodo a fructibus cognoscendi pseudoprophetae? — III. Quomodo in hominibus non potest arbor bona malos fructus facere? — IV. Cur requirit Deus bona opera, etc?

## THEMA.

*Attendite a falsis prophetis, etc. Matth. VII.*

Recte legitur hoc evangelium isto tempore. Nunc enim vel occupamur in colligendis fructibus, vel certe cogitamus quomodo et quando colligere eas velimus; interim sæpe non attendimus ad eos fructus, quos a nobis colligere vult Deus, fructus inquam bonorum operum. Totum pene tempus, totam operam impendimus nostræ messi; nihil aut parum admodum messi Domini nostri. Unde ipse queritur per Michæam, cap. VII. (juxta translationem Septuaginta interpret.) *Væ mihi, quia factus sum, sicut qui congregat stipulam in messe.* Propterea igitur admonet nos Christus et Ecclesia in hodierno evangelio, ut dum fructus a Dei benignitate percipimus, eidem etiam fructus bonorum operum debitos reddamus. Hoc enim sibi volunt illa verba: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Non utique arbor lignea, cerasus aut pirus: sed homo sterilis et inutilis. Hoc illa: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, etc.* Non enim vult contentus esse foliis verborum aut solius fidei; opera requirit. Quare indagemus doctrinam hujus evangelii.

I. Cur hæresis maxime cavenda? Respondetur, quia primo, est ex gravissimis peccatis unum, trahens post se innumera alia, pertinaciam imprimis in proprio sensu, contemptum Ecclesiæ, ss. patrum, traditionum, sacramentorum; eripit etiam spem et charitatem, privat mediis resurgendi a peccatis, etc. unde apostolus eam antonomastice vocat peccatum, II. Tim. II. cum descripta hæresi ait: *Discedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Domini:* et ad Titum III. *Hæreticum hominem post unam aut secundam correptionem devota, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus:* Quia scilicet sponte et pertinaciter se ab Ecclesia separat, extra quam non est salus sed certa damnatio. Unde S. Maximinus, ser. L. recte comparat hæreticum Judæ, qui non a Christo ejectus est, sed sponte se ab

apostolorum collegio separavit, et exivit e cœnaculo, cum vellet prodere Christum, Joan. XIII. Tali, inquit, hæreticus, quali et Judas pœna damnatur, ut idem sui et reus sit sceleris et iudex sit ultionis, quia Dominum, quem Judas vendidit, hæreticus blasphematur. In opprobrium Judæ et sceleris ejus, nemo vult vocari Judas: ita nemo debet pati conviciam hæreseos. S. Agatho omnia alia convicia ferebat ex humilitate et reum se illorum fatebatur; sed cum quidam ei objicerent: «Intelleximus quod hæreticus sis. Absit a me, inquit, ut unquam sim hæreticus; causamque subdens, ait: Crimina alia infirmitatis et fragilitatis sunt, hominemque Deo adhuc per fidem unitum relinquunt; hæresis vero pertinaciæ est et nota malitiæ, quæ omni modo nos a Deo divellit, quia et fidem tollit, Evagr. I. III. de vitis patrum.

Secundo, quia est malum contagiosum: *Multum enim proficiunt ad impietatem,* ait apostolus, II. Tim. II. *et sermo eorum ut cancer serpit.* Ut enim gangrena vicina membra et totum denique hominem inficit: ita et hæresis. Sic: *Arius,* inquit S. Hieron. *una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est.* Et quid mirum? *De mundo sunt,* ait Joan. ep. c. IV. *et de mundo loquuntur, et mundus eos audit.* Affert nova, curiosa, carni placencia dogmata, ut mirum non sit, si repente propagetur.

Tertio, quia est subtile et clandestinum malum, utpote spirituale, quod non ita facile cognoscitur et horretur, ac pestis, furtum, homicidium et alia, quæ externa damna vel injurias continent: unde et a magistratibus, qui fere ad externa tantum et corporalia damna vel crimina attendunt, negligitur et facile toleratur.

Disce itaque imprimis aversari hæresin, et si omnia alia perdas, fidem conservare. «Nam quemadmodum serpens, inquit S. Chrys. hom. XXIV. in Matth. totum seipsum tradit, nec minimum curat, si ipsum quoque corpus incidi necesse sit, dummodo caput suum integrum servet, eodem tu quoque modo præter fidem cætera perdere non cures, sive pecunias, sive corpus, sive etiam vitam ipsam profundere necesse sit.»

II. Quomodo a fructibus suis cognosci pseudoprophetae seu hæresum doctores possunt, cum eosdem sæpe fructus videamus in hæreticis et catholicis? Respondetur triplices esse hæreticorum fructus. Primo, doctrinam et dogmata eorum, quæ hoc ipso quod nova sunt, suspecta sunt et arguunt illos hæreseos. Talia enim sunt, quæ qui sequuntur, scelerati et improbi fiunt. Veluti illud Calvinistarum: Deum esse auctorem peccati: et illa Lutheranorum: Præcepta decalogi servari non posse, opera bona non mereri

vitam æternam, liberum arbitrium non esse, opera bona esse peccata, neminem baptizatum quantiscumque peccatis perire posse, nisi credere nolit, etc. Hæc enim dogmata quorsum nisi ad impietatem ducunt? Ergo hæreticos ostendunt esse eos qui hæc tradunt. Secundo, opera mala, quæ ex doctrina eorum profluunt, ut contemptus Ecclesiæ et odium papæ, Scripturæ prava expositio, traditionum rejectio, carnis libertas, votorum violatio, bella, etc. et quos recenset S. Bern. ep. CXXI. ad Holdephonsum: Basilicæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reverentia sunt, et sine Christo deinde Christiani; Ecclesiæ synagoga reputantur, sanctuarium Dei sanctum esse negatur, sacramenta non sacra consentur, dies festi festis frustrantur solemnibus, etc. Quæ quia ex hæreticorum dogmatibus nascuntur, hæresin eorum ostendunt. Non sunt talia vitia catholicorum, quia non sunt vitia religionis, sed hominum; velut si quis monachus reperitur malus, vitium est hominis non ordinis. Tertio, vita eorum mala et virtutibus contraria, cum tamen interim sancti et Spiritu sancto afflati velint æstimari. Etenim hæretici fere ab ambitione, libidine, avaritia ad nova dogmata pertracti sunt, in iisque perditæ vixerunt: et tamen spirituales et cælestes videri volunt. Quam fuerit spurcus, bibulus, scurrilis, fastuosus et jactabundus Lutherus, ipsius libri testantur, ab ipsismet Lutheranis editi. Calvinum constat in Gallia ob sodomiam rogo adjudicatum, sed ex gratia virgis cæsum et stigmatibus inustum. At huiusmodi fructus imprimis præsertim fidei præconibus, fœdam et malam ostendunt arborem. Quis enim talibus crederet, nova dogmata serentibus? Non fuere tales primi nostri præcones, Bonifacius, Rupertus, Kilianus, etc. quorum vitæ sanctitas libris contestata et toti orbi nota est.

Disce igitur, qui sint falsi prophetae et ubi sit falsa fides; ubi nimirum ejusmodi fructus, ubi perversa et nova doctrina, ubi vitia ex ea consequentia, ubi vita turpis in his, qui reformatores, a Deo missi, volunt videri.

III. Quomodo verum est in hominibus id: *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere,* cum tamen certum sit, bonos male, et malos bene posse operari? Respondetur non esse necessarium, ut hoc etiam applicetur hominibus: posse tamen applicari primo, si intelligatur de primo et secundo genere fructuum, et de potentia morali. Hæc ratione non potest probus orthodoxus malos doctrinæ fructus facere, nec hæreticus sanam fidem docere et prædicare, quia hoc eorum professioni repugnat, estque inauditum. Hoc sensu S. Hier. epist. II. ad Damasum ait: *Errare possum,*

*hæreticus esse non possum.* Similiter non potest ex catholica doctrina oriri nisi bonum, humilitas, obedientia, pax, concordia, conversatio et mores boni: ex hæretica vero non nisi sectæ, dissensiones, strages, ordinis perturbatio, etc. quæ ex illa prodeunt. At si de tertio fructuum genere loquamur, intelligi potest sententia, de eo, quod communiter fiat et ut plurimum. Sic arbor bona fere bonos tantum, mala fere malos tantum fructus facit; licet interdum evenire queat, ut illa malos, hæc bonos aliquos ferat. Sic dicebat Joseph arbor bona: *Quomodo possum hoc malum facere et peccare in Dominum meum?* Gen. XXXIX. et de mala arbore ait Jerem. c. XIII. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Non quod hoc sit impossibile, sed quod valde difficile. Ita dicitur Eccl. XXXIV. *Ab immundo quid mundabitur? Et a mendace quid verum dicitur?*

IV. Cur requirit a nobis Deus fructus bonorum operum? Et cur in ignem mittet eum, qui illo caret? Respondi ad hoc alibi, supra hujus dom. III. Sed objiciunt primo: Vita æterna donatur nobis ex gratia et misericordia, juxta id Rom. VI. *Gratia Dei, vita æterna:* et Rom. XI. *Si autem gratia, jam non ex operibus;* ergo non datur ex merito bonorum operum. Resp. vitam æternam dari ex gratia, quia non datur propter opera viribus propriis parata, sed propter opera ex gratiæ adjutorio profecta. Certe si quis pistor pauperi det nummum ex misericordia, quo panem sibi pauper ab eodem pistore emat: recte dicitur pauper panem habere ex misericordia respectu pistoris donantis nummum: et tamen nihilominus panem habet ex justitia, sed debito, respectu ejusdem vendentis panem, quia pretium dedit pro pane. Ita præmium cæleste nostris meritis repensum etiam Dei donum est, quia ipsa merita a Deo donantur: unde S. Augustinus ad Sixtum ait: *Omne meritum nostrum in nobis non parit, nisi gratia; et cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, nisi munera sua.*

Secundo, objiciunt: Electio certa est et infallibilis, ergo si electus sum, salvabor etiam sine operibus: vel si non sum electus, nec cum illis poterō salvari. Hoc argumento nixus Ludovicus Landtgravius Thuringiæ, ut scribit Cæsarius, l. 1. hist. c. XXVII. cum corripere a bonis, dicebat: Si prædestinatus sum, nulla mihi peccata poterunt regnum cælorum auferre; si vero præscitus, nulla bona opera mihi id valebunt conferre. Sed deceit illum medicus, quantum in hoc erraret. Cum enim in morbum incidisset Ludovicus, et medicum vocasset, respondit medicus: *Domine, si moriturus es nil juvabit me-*

*dicina: sin autem victurus, frustra adhibebitur.* Quod responsum, cum ille miraretur, et diceret se opera medicinæ vivere, defectu ejus mori posse, subintulit medicus: Ita nimirum et tu salvabere, si adhibeas opera pœnitentiæ; sine his damnabere. Ita emendatus comes, deposuit errorem. Act. VII. legimus S. Paulum ex angelî revelatione didicisse, neminem ex sua navi periturum naufragio, sed omnes ipsi donatos esse: et tamen cum tempestas advenisset, omnem adhibebant operam, et totis viribus laborabant, modo holidem submittentes, modo anchoram mittentes, modo navem exonerantes, modo vasa submittentes, modo enatantes, donec omnes evaderent. Sic factitandum nobis.

Sed quid ad hæc Lutherus? « Ego dico tibi, (ait in quodam sermone super illa verba: Sic Deus dilexit mundum) quia angusta est via, oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire, ac per eam penetrare. Cæterum qui operibus onerati sunt, sicut conchylibus onustos videmus Jacobi peregrinos, ii non poterunt penetrare: ideo oportet te tenuem atque angustum fieri. Hoc fit autem quando in te desperas; si autem adveneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit, alioqui penetrare non poteris. » Hæc Lutherus sacrarum litterarum derisor, ex cujus sententia Cain quidem, Sodomitæ et omnes improbi in cælum penetrarunt: Abel autem, et Abraham, et alii sancti exclusi sunt; quasi vero opera bona gravent et impediunt scelera vero levant, et ad cæli iter expeditum faciant. Certe bona opera non magis gravant, aut impediunt hominem ab ingressu cæli, quam alæ gravent volucrum, aut rotæ currum: quæ non modo non gravant aut impediunt, sed alleviant et promovent.

Sed quid ad hæc Scriptura? *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Mentitur ergo Lutherus, et suis misere imponit. Disce hinc non modo mala non agere, sed insuper etiam bonis operibus vacare. Nam primo *omnis arbor,* inquit Dominus: nemo prorsus excipitur aut otiosi permittitur; sive dives, sive pauper, sive sanus, sive æger. Deinde, fructum requirit, non folia, non eruditionem, non proposita nuda et vota. Fructum etiam bonum, non speciosum, qui foris tantum appareat, vel a mundo reputetur, sed qui revera bonus sit. Excidetur: ecce pœnam damni, qua tollentur impii, ne videant gloriam Dei. Et in ignem mittetur; ecce pœnam sensus, qua in æternum cruciabantur. Horrendum profecto verbum. Si enim hoc diceretur impiis, qui innumeris flagitiis sese vendidissent, sat tremendum esset. At dicitur hoc iis, qui operibus bonis carent, qui hic otiosi sedent, licet neminem offendant. Et

quid putatis, auditores? Quid erit mitti in ignem, et in ignem sævissimum; et in ignem æternum? Scribit Cæsarius, lib. XII. c. V. diabolum aliquando apparuisse nobili cuidam Waltero decumbenti prope Bonnam, et dixisse: *Nosti arces illas in vicino septimontio, dictas Wolckenberg et Dracherfeldt? Illo annuente, subdit dæ-*

*mon: Etiamsi hæ arces et montes essent ferrei, projecti tamen in infernum, liqueferent in momento.* Et ut ita sit, tolerabile tamen foret crudele hoc incendium si non æternam foret. Multi per unam horam non possunt flexis genibus orare ante eucharistiam, et quis habitabit cum igne devorante? Cum ardoribus sempiternis?

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

ARBORI BONÆ SIMILEM DEBERE ESSE HOMINEM.

I. Humorem Spiritus sancti de cælo ad se trahat. — II. Cortice bonæ famæ vestiatur. — III. Adversitatibus exerceri debet. — IV. Culturam educationis habeat. — V. Fructus bonos ferat.

#### THEMA.

*Arbor bona fructus bonos facit.* Matth. VII.

Arbori comparari hominem audimus, auditores, in hod. evangelio, et recte, quia arbori non absimilis est homo; nisi quod, ut antiqui aiebant, arbor sit inversa, radicem, e qua alimentum sumit, non in terra fixam habens, sed ad cælum erectam. Quæ etiam causa est, cur doctissimus Philo Judæus, in l. quod deterius pot. insid. hominem appellet *plantam cælestem.* Soli enim homini Deus caput sublime dedit, ut alimenta sua e cælo sumat, et fructus cælo dignos, adeoque cælestes, proferat. Et tales esse vult nos omnes Christus, dum in hod. evangelio requirit bonam arborem, quæ bonos fructus afferat. Nunc ergo videamus qua in re potissimum bonæ arbori debeamus esse similes.

I. Arbor bona humorem terræ ad se attrahere, et inde vivere debet: quod nisi fiat, exarescit et emoritur. Homo etiam, ut secundum animam vivat et fructus bonos ferat, gratia Spiritus s. præditus sit necesse est: id quod egregie ostendit B. Petrus Damiani, in serm. XXI. qui est de Spiritu s. « Arbor namque solo radicitus fixa, succos ex uligine concipit, quibus per inferiora diffusis, et ad incrementa se roboris erigit, et germen emittit. Quique autem fideles arbores sumus, intra sanctæ nemus Ecclesiæ illius summi agricolæ dispositione plantati. Si ergo, ut infructuosæ arbores crescere nolumus, si securibus excidi ac deputari ignibus inutiliter formidamus in illa supernorum civium patria, in humanitate Redemptoris nostri, per charitatis glutinum spei nostræ radix semper inhæreat, ut ad proferendos bonæ operationis fructus

in robur fortitudinis fortiter convalescat. Sed sicut arbor, si vegetantis succi humore deseritur, protinus exsiccat, sic et anima nostra, nisi Spiritus s. gratia fuerit rore perfusa, funditus arefacta, ad nullius sanctæ operationis germen poterit esse fœcunda. » Sic ille. Porro, sicut arbores humorem e quo vivunt de cælo fere expectant, a pluviis nimirum, ita et nos gratiam Dei, quæ ad bene operandum nos excitet, et in operando adjuvet, non nisi a Deo accipimus; et per quid aliud, nisi per orationem? Quam ergo necessaria est arboribus frequens irrigatio, tam necessaria est homini assidua precatio. Unde S. Chrysostomus, hom. I. de prece, tom. VI. ait: « Quare nobis, qui ab illo institui-mur, vita est in precibus traducenda, usque mens perpetuo irriganda: non enim minus quam arbores aquis, illis indigemus universi. Nam neque illæ possunt esse fructuosæ, nisi humorem radicibus ebibant, neque nos pretiosissimas pietatis fruges fundere, nisi precibus irrigemur. » Hinc David orabat Ps. CXLII. « Anima mea sicut terra sine aqua tibi: velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus. » Ubi S. Augustinus: « Complue, inquit, me ad faciendum fructum bonum. » Quod si ad orationem lacrymæ accedant, eo potentior erit irrigatio. Sicut enim vino rigatæ arbores citius adollescunt, et firmiores in terra radices agunt, teste Plinio, lib. XII. cap. I. ita et anima lacrymis perfusa uberiores virtutum fructus gignet, ut testatur supra cit. Petrus Damiani, opuse. XIII. c. XIII. « Lacrymarum, inquit, mador animam ab omni labe purificat, et ad proferenda virtutum germina nostri cordis arva fœcundat. Sæpe namque miserabilis anima, velut sub pruinâ glaciæ, comas et foliorum ornamenta deponit, et, recedente gratia, ipsa sibimet derelicta, tota remanet arida, et quasi decidendum florum decore nudata. Sed mox ut lacrymæ ex munere intimi inspectoris eruperint, protinus hæc eadem anima revirescit, torporis ignavi frigore solvitur, et tamquam arbor verna, austri fomita